

VERSION LATINE

Sur la décadence des sciences et des arts

Eumolpe explique (de manière peu orthodoxe) au jeune Encolpe pourquoi les sciences et les arts d'aujourd'hui ne sont plus ce qu'ils ont été.

Tum ille : « Pecuniae, inquit, cupiditas haec tropica instituit. Priscis enim temporibus, cum adhuc nuda uirtus placeret, uigebant artes ingenuae summumque certamen inter homines erat, ne quid profuturum saeculis diu lateret. Itaque herbarum omnium sucos Democritus expressit, et ne lapidum uirgultorumque uis lateret, aetatem inter experimenta consumpsit. Eudoxos in cacumine excelsissimi montis consenuit ut astrorum caelique motus deprehenderet, et Chrysippus, ut ad inuentionem sufficeret, ter elleboro animum detersit.

Verum ut ad plastas conuertar, Lysippum statuae unius lineamentis inhaerentem inopia extinxit, et Myron, qui paene animas hominum ferarumque aere comprehendaverat, non inuenit heredem.

At nos uino scortisque demersi ne paratas quidem artes audemus cognoscere, sed, accusatores antiquitatis, uitia tantum docemus et discimus. Vbi est dialectica ? ubi astronomia ? ubi sapientiae cultissima uia ? Quis unquam uenit in templum et uotum fecit, si¹ ad eloquentiam peruenisset ? quis, si philosophiae fontem attigisset ? Ac ne bonam quidem mentem aut bonam ualitudinem petunt, sed statim antequam limen Capitolii tangant, alias donum promittit, si propinquum diuitem extulerit, alias, si thesaurum effoderit, alias, si ad trecenties sestertium saluus peruerterit. Ipse senatus, recti bonique praceptor, mille pondo auri Capitolio promittere solet, et ne quis dubitet pecuniam concupiscere, Iouem quoque peculio exorat. Noli ergo mirari, si pictura defecit, cum omnibus dis hominibusque formosior uideatur massa auri quam quicquid Apelles Phidiasque, Graeculi delirantes, fecerunt ».

Pétrone, *Satiricon*

Notes :

1) *Si* = (ici) « pour peu que »